

JEHOVA DIRIGENTE
Συλλογισμῶν Ἰνδὺ ἐπαγωγῆς

Seu

Syllogismi Inductivi

naturam & affectiones,

Ex Organi Aristotelici Fundamentis
delineatas,

BENEVOLO

AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILO-
SOPHICÆ IN ACADEMIA LIPSIENSI
INDULTU

Pro Loco

In eadem suo tempore obtinendo,

DISPUTATIONIS POSTERIO- RIS VICE

Ad diem VIII. Julii Anno MDCLXXVI.

Ritè Philosophantium Censuræ modestè
submittet

H. L. Q. C.

M. JOHANNES Dornfeld / Marchicus,
Scholæ Senatoriæ Collega Tertius, & ad Div. Thomæ
Concionator Sabbaticus.

LIPSIÆ,

Typis JOHANNIS KOLERI.

J. M. Koler

a. XXVII. 62.

Coll. diss. A
27, 62

Inclita nobilium ac ingenuorum Fratrum
Quadriga;

Nobilissimi, Amplissimi atque Consultissimi Viri

DN. D. WOLFGANGI HENRICI DREWERI,
Jcti Celeberrimi, Prætoriiqve Lipsiensis p.t. Directo-
ris Gravisfimi &c.

Patroni mei æviternum colendi,

Filii obsequentissimi,

WOLFGANGE HENRICE,
SEBASTIANE SEVERINE,
SOLOB &
CHRISTIANE HENRICE,

Virtutem ac Pietatem Parentum Vestrorum egregiâ indole & conatu
strenuè æmulantes :

Qui ex pulvere privato in arenam publicam me prodeuntem flagranti pronuper subsecuti estis desi-
derio, publicè etiam nunc mihi occurritis compellandi, ut luculentum exstaret tum Vestri erga me
amoris, tum meæ erga Vos infucate dexteritatis testimonium. Annus scilicet agitur quartus, ex quo,
DEO sic dirigente, adolescentiæ Vestræ Formator à Nobilissimo Parente Vestro sim allectus; quod
ipso primi contuitus momento tacito quodam mihi augurio sum pollicitus, fore scilicet, ut ingenuæ fronti,
qua floretis singuli, animi quoque candor & integritas undiquaque responderet, id successu temporis, dum
in pietatis & bonarum artium viretis me præeunte spacia confecistis haud pœnitenda, cum tacita animi vo-
luptate nunquam non fui expertus, aded, ut sanè nesciam, utrum splendida Parentum Vestrorum in me, non
semper talia promerentem beneficia, quæ privatos jam dudum prorumpentia parietes universæ civitatis o-
culos & animum percellunt; an verò Vestrum, *Anima jucundissima*, obsequendi studium, atque inde protuberans
tenerrimus erga me, Informatorem Vestrum, amor durissimum sic satis pulveris scholastici laborem mihi
lenierit? Deprædicarem hîc non in angulo atque ad aurem, quod inficiandi genus à me alienum norunt
ii, qui animi mei non vestigia, sed ipsa explorarunt cubilia, sed in propatulo, Vestram à Matre, fœminarum o-
mnium exemplari amussinato, ad Vos usque derivatam in DEum pietatem, in Musas diligentiam, in melio-
rem vitam probitatem & sanctitatem, in me denique studia atque officia: Verùm, quia eadem existunt infini-
ta, non valeo complecti singula. Unum liceat hîc publicè, citra falsi speciem quidem, ast non sine futura
bonorum æmulatione de Vobis singulis prædicare; mihi, quoad longè respicio (oetodecim autem annos
hunc Sisyphi lapidem volvi) Discipulos præter Vos obedientiores, adque capienda virtutum præcepta avi-
diores non contigisse: Egregia laus! temporariam pariter atque æternam DEI benedictionem certo certius
Vobis superinductura. Pergite, O MEI, antiquis industriæ ornamentis nova identidem addendo, inque
dies singulos egregiam indolem Parentibus optimis, Præceptoribus fidelissimis, certissimis signis, vitam è vi-
ta trahentes approbando. Et licèt nondum per ætatem, uberrimè Vobis instillata credendi & vivendi mo-
nita, queatis intelligere omnia; intelligetis tamen quondam, statuentes, si vel alibi vitam degero, vel ma-
ximè fatis piè defunctus fuero, (ad omnia enim sum paratus) Vestro Dornfeldio nihil magis in votis fuisse,
quam ut viri quondam virtuosus & sapientes, tantis Parentibus digni Filii sitis. Ut esse queatis, faxit ille, qui
omnia potest, vosq; jubeat vasa esse suæ gratiæ, & insignia Patriæ dulcissimæ ornamenta. Valetè, & hoc agite;
ut boni permaneat, si vultis esse beati. DEUS vos servet cum splendidissima Vestra Familia! id quod vovet
Vester tantus quantum est

Dabam ex Museo meo,
Lipsia d. 6. Julii A. M DC LXXVI.

Sächs.
Landes-
Bibl.

Dornfeld.



Σὺν τῷ Θεῷ.

§. 1.



Qvod in Triremi gubernator, in Academia Re-
 etor, praecentor in choris, Dux in regione, Im-
 perator in exercitu, imò quod in mundo Deus
 est, Princeps nimirum omnium, *Cic. in Somn. Scip.*
omni sublimitate major, omni majestate sublimior,
 hoc inter condita corpora Homo, optimus ni-
 mirum & nobilissimus, qui caeteris imperitat, *Cardan. ap. Scalig. Ex-*
ercit. 254. rationisque, quâ solâ Deo proximus supra pecudum,
 sortem constituitur, beneficiò aestimandus, hoc proprium sibi
 reservat in rerum inquirere causas, verumque à falsis discernendò
 ad recti tandem pertingere tramitem.

Theses proe-
miales
ostendentes,

§. 2. Qui quidem (verum enim hîc dissimulare non susti-
 nemus) densissimis saepe dumetorum vepribus obsitus abstrusis-
 simisque errorum voraginibus intercifus, vix apparet, ut non nisi
 Herculeò labore gravissimis itineribus sit superandus; quemad-
 modum operosus est id ostendere *Aristot. sub initium L. 11. Metaph.*
 Rei veritatem dubitationis alex committendò testimonia desi-
 deras? En tibi tot monstrosas opinionum myriades non nostrò
 tantum, aliàs ad innovandi pruriginem fatis proclivi seculò, sed
 jam olim in Philosophiam superinductas; nec non infinitum il-
 lum Philosophorum in diversa omnia abeuntium dissensum:
 adeò, ut non ipsi tantum in varias separati fuerint sectas, sed nec
 sub eòdem militantes vexillò fatis sibi constare, quin potius per
 κοινὰς παραλήψεις, quæ aliàs ἀφορμαὶ πρὸς εὐρεσιν τῆς ἀληθείας pro-
 ducunt (*Arian. L. 111. Dissert. c. 21. Seneca Epist. 108.*) inque ejus-
 dem investigatione (*siquidem Principia rei vel Objecti & Cognitionis*
Eustach. à S. Paulo Tractat. I. Physic. Diss. 1. quæst. 1. audiunt,) men-
 tem dirigunt, consensu paulò ante inter se invicem sancitò, con-

menti huma-
nae ob ejusdem
caliginem.

trariò levissimas sæpè ob causas diffensu his pactis renunciantes, à consummatò contractu resilire videantur.

ad Veritatem
inquirendam

§. 3. Quod tamen nihilominus homo in veritatis cognitionem possit penetrare, pristinaeque adeò, ad quam fuit fictus, dignitati quodammodo restitui, οὐδὲ τῶν Φαντασιῶν χεῖσις divinitus eidem est concessa (*Epicetus in Enchiridiò c. 11. Arianus L. 1. Dissert. c. 1, 3, 8. alibi passim*) quâ debitò modò adhibitâ, beneficio Instrumentorum fili Ariadnæi instar se habentium, ad culmen Sophiæ tanquam ad veritatis Asylum inoffensò procederet pede; ita ut ἀδυναμία καὶ ἀδωμανία σωμαίων seu infirmitatis & imbecillitatis animadversio, haud secus ac morum corruptio (*teste Patro apud Tacitum L. XV. Annalium*) ad salutarium legum promulgationem stravit viam, circumspectam Instrumentorum ei suppeditet applicationem, (*Plato in Theaeteto p. m. 408. Arist. 11. Metaph. 2. Colleg. Conimbr. II. Phys. 7. §. 1. Artic. 1.*) Ut enim discernentur pondera, statera fuit quærenda, in rectis utpote & pravis norma: sic quoque ad opiniones erroresque dijudicandos ac dispellendos hæc amussis (*Arianus L. II. Dissert. c. 11.*)

Duo suppedi-
sata esse In-
strumenta,

Syllogismum
& Inductio-
nem,

quorum ul-
tima

§. 4. Duo autem esse perfecta rationis Instrumenta, sive modos veritatem ex Democriti quasi puteò in lucem protrahendi, asserit is, quem nihil penè fugit ejus, quod humana est menti pervium, Aristoteles; partim à seipso, Syllogismum scilicet, partim ab aliis inventa, vide §. 7. Inductionem puta, quorum formam considerat L. 1. Anal. Ἄπαντα γὰρ πιστόμεν ἢ διὰ συλλογισμῶν, ἢ ἐξ ἐπαγωγῆς, vide *Philosoph. L. II. Priorum Anal. 23. Μανθανόμεν γὰρ ἢ ἐπαγωγῆν ἢ ἀποδείξει. L. I. Post Anal. c. 15.* quibus ἰσοδυναμῶντα vide *L. I. Rhetor. & VI. Ethicor. 3. alibi que passim.* Non enim satis est Syllogismus solus, nec sola sufficit Inductio ad cognoscendas omnes quaestiones, sed interdum hujus, interdum illius opera requiritur necessariò. Siquidem omnis Enunciatio dubia & ignota nobis suapte naturâ vel caret Mediò seu causâ; ea autem per Inductionem cognoscitur à nobis, in quâ progressus fit à singularibus propositionibus, subjectis à sensu nobis subministratis vide §. 9. Vel Enunciatio dubia & ignota certò mediò gaudet, ad cujus cognitionem Syllogismus adhibetur, qui non à singularibus Inductionum more, sed ubique ab Universalibus progreditur, propter perpetuæ certitudinis normas, Dicitur de Omni & Nullo, ad quas,

CEU

seu ad lapidem Lydium congruere, aut saltem revocari tantumdem oportet omnem Syllogismum legitimum. *Vid. Academiae olim nostrae Decus Johann. Neldelius in Instit. de usu Organi Aristot. Part. III. c. 1. §. 2. m. p. 24.* Nos Syllogismum simplici tantisper sepositum DE SYLLOGISMO INDUCTIVO, aut si mavis, DE INDUCTIONE Disputationis ab Amplissima Facultate Philosophica benevole nobis concessae solennioris vice pauca quaedam, ejus simul naturam, usum atque affectiones detegendum, in medium afferemus. Faxit Deus feliciter!

praesentis considerationis.

§. 5. Dicitur autem *Inductio*, ut hinc divinam succurrente gratia potissimum ordiamur, ab *Inducendo*; Etenim, si Graecarum rerum consultis, interque illos *ἐπιτεθειμένοι* Budæo & Stephano credimus *ἐπιτεθειμένη* vel est invasio, ut *ἐπιτεθειμένη τῶν Ἰππιδείων* Invasio de industria irrumpentium apud *Thucyd. L. V.* vel pellacia & illecebrae, *Plato L. II. de Rep.* vel ordinum series & consecutio deinceps continuata, ut in Exercitu composito agmine procedente ordines alii post alios procedunt. Hinc non inconvenienti Metaphorâ *ἐπιτεθειμένη* ad illam probandi rationem transfertur, quâ ex pluribus justo ordine dispositis, & tanquam in aciem productis propositionibus singularibus universalis aliqua elicitur, adeo ut ex concessis sensim laqueus contexatur, ad irretiendum eum, qui semel interrogandum se praebeat.

Protheoria exhibens
1.) Etymologiae

§. 6. Caeterum, cum ex *τῶν πολλὰ ὡς λεγομένων* sit *Inductio*, non intendimus hic quamvis animi persuasionem, Ciceroni alias non raro *Mentis Inductionem* appellatam; nec *subsumptionem* aut *reductionem rei particularis ad universalem* nobis ita cognitam, ut haec per illam educatur seu proferatur, oculisque nostris subjiciatur (quod sensu locum *Philosophi L. I. Post. Anal. c. 1. §. 6.* à Zabarella nota expositum, cum hac dilucidatione; Propositionem scilicet illam: *Omnis triangulus habet tres angulos aequales duobus relictis*, esse praecognitam; hanc verò minorem particularem sive singularem potius: *Hoc, quod in semicirculo continetur, est triangulum*, esse inductum;) Sed certam argumentationis speciem, ubi allatis quam plurimis sensui manifestis singularibus intellectus impellitur, & manu suaviter quasi injecta adducitur, ut postquam illa negare non audeat, universali quoque inde inducta assensum denegare non possit.

2.) Homonymia

A 3

§. 7. Po

3.)
Cognoscendi
rationem
à Socrate pri-
mum suppe-
ditam.

§. 7. Potest autem *Inductio* propriè sic dicta, & in foro præfenti examinata (cum Oratoria illa ex veris quibusdam simile sibi verum propriè colligente atque inferente, prout *Socrates* apud *Laërtium* eam descripsit, qui animadvertens naturalis speculationis fructum nullum esse, eamque ad officia vitæ nihil necessariam, non Ethicè primus modò invexit, deque moribus in officinis publicè differuit, Vid. *Xenophon* L. I. de *Dictis Socratis*, & *Ciceron*. L. V. *Tuscul. quæst.* *Valer. Max.* L. III. c. 4. adde his *August.* de *Civ. Dei* L. VIII. c. 3. sed & sedulo mentem ad Definitiones applicavit, adeoque, Olympiade LXXXIX, seculò sc. VI. quarti mundi millenarii, durante bellò Peloponnesiaco, in quo militem egit & Alcibiadi adhæsit, lapsusque equò *Xenophonem* servavit, [*Laërtius in vita ejus*,] & inductivas orationes & Definitionem Universalis, veræ Philosophiæ instrumenta, tradidit, *Arist.* L. I. *Metaph.* c. 6. L. I. de *part. anim.* c. 1. L. XIII. *Metaph.* c. 4. nobis, *Inductionem*, prout Philosopho aliàs etiam ὁ ἐξ ἐπαγωγῆς συλλογισμὸς L. II. *Post. Anal.* c. 23. §. 1. item λόγος ἐπαγωγικός seu Syllogismus Inductivus indigitatur, nihil nunc commercii est,) considerari vel materialiter, respectu terminorum, ex quibus constat, cum certâ quâdam ἕξει seu habitudine, secundum quam termini in Syllogismo disponuntur, & quatenus ad eandem quoque Inductiones revocari possunt ac debent, vide infra §. 38. vel formaliter, quatenus constituit peculiarem argumentationis speciem à Syllogismo distinctam. Vide *Reckleb.* *ῥητορικῆς* p. 227.

Theoria ipsa,
defendens di-
versos *Aristo-*
telis Defini-
tiones,

§. 8. Mirum itaque nemini videbitur, quòd, licet unius rei non nisi unica etiam debeat esse definitio, quoad essentiam scilicet, non semper tamen quoad concipiendi modum, prout rectè limitat hunc Canonem *B. Stahlianus* in *Reg. Philosophic.* Tit. XII. Reg. 6. duas diversis in locis Inductionis dederit Philosophus Definitiones mox §. 17. in apicem producendas; cum τὰ λόγῳ συνακολουθῶν diversis locis diversam etiam ejusdem ἕξει, εὐπροβαίαν & ἀνάλλυσιν tradendò Descriptione prius allatâ ejusdem Definitionem, stabiliret, in simulque modum, quò quælibet Inductio Vide infra §. 37. in formam habitumque Syllogismi transferri possit: ne in Organo suo ad amissim veræ sapientiæ exstructo verborum & fidei prodigus credi posset. *Piccartus Philosoph.* *Altdorf. Diss.* XXIV. §. 9. 10. m. p. 255.

§. 9. Præ-

§. 9. Præcipua autem Inductionis ratio in hoc est sita, ^{corroborans qd} quòd ex singularibus in medium allatis colligat universale, sive, ^{Inductionis} *δεικνύη τὸ καθόλου, διὰ τὸ δῆλον εἶναι τὸ καθέκαστον, Philosoph. L.I. Post. Anal.* Cum verò universalis propositio vera esse nequeat, nisi ^{sim} veræ sint omnes, quas ambitu suo complectitur, particulares, falsa autem evadat, simulac in unico singulari enunciato rem aliter, sese habere deprehendatur, cuius obvium; Inductionem, si- quidem firmò stare debeat talò, respectum habere ad omnia in- univesum singularia.

§. 10. Hic sanè obstetrices Inductioni oportet ut afferat ^{per Experien-} manus Experientia, aurium humanarum dominatrix, ^{tiam} *Columella in prafat. L.I. de re rustic.* quâ sapiens, si non corpore, animò certè **EX** patriâ **PER** agros it cautus & **ENTIA** discit; extera sic cre- scens venit **Experientia** rerum; hâc ipsâ longo usu depre- hendet, rem non aliter in omnibus sese habere singularibus. *Ex- perientia enim proprium est, cuiusq; rei principia tradere, v.g. Astrologica experientia principia suppeditat Astrologica scientia, sufficienter enim ac- ceptis iis, quæ apparent, inventæ Astrologica Demonstrationes; similiter se res habet in quavis arte & scientiâ, verba sunt Philosophi L.I. Pri- or. Anal. c. 30. quin & supremam Operi Analytico manum impo- siturus, L.II. Post. Anal. c. ult. modum, quò Experientia Inducti- onem, & hæc vicissim Universalia gignat principia describens, Ex sensu, inquit, fit memoria, ex memoriâ ejusdem rei factæ fit Experientia; multæ enim memoriæ sunt una numerò experientia, & verò ex omni & u- niversali, quiescente in animâ fit principium artis & scientiæ. Quibus τὸ ἀληθὲς lege L.I. Metaph. c. 1. iisdemqve maximè congruentia, ex mente veterum Stoicorum ab Autore de Placitis Philosophorum, qui vulgò Plutarchus esse creditur, tradita L. IV. c. 11.*

§. 11. Quod igitur ex pluribus singularibus experientia ^{quæ Demon-} beneficio collectis elicitur, fit principium Demonstrationis, & di- ^{strationis gi-} citur *πρώτη, καὶ ἀμεσ* ^{gnit princi-} *πία*; quibus co- gnoscendis potissimum Inductionem deservire, §. supra 3. o- stensum est. Cum enim primæ illæ sint propositiones & imme- diatæ, sanè quàm *ἀπαυδῶτως* ageret ille, qui eas per prius aliquod sive medium ostendere inani conatu laboraret.

§. 12. Verùm ad hoc genus ratiocinii requiritur, ut omnes speci- ^{Objectio:} **es,**

es, partiumque omnium enarrationem contineat, quippe si una deficiat, exceptionem patitur, & totam propositionem subvertit; unde nil certi Inductione probari potest, nisi constet Inductionem esse integram, & ita generalem, ut nullam exceptionem admittat, qualem habere difficile est, & prope modum impossibile. Et certè etas mortalium multò angustioribus terminis continetur, quàm ut uni omnia tot tantisque locorum intervallis à se disjuncta singularia inspicere atque examinare liceat. Nam quis omnes Jurisprudentiæ casus animò complectatur? Aut quis Physicæ studiosus omnia corporum genera, plantas, animalia, sidera cuncta enumeret? Unde maximâ parte particularium cognitâ, tantùm inferri potest, rem ut plurimum ita se habere: quamvis speciales casus nonnunquam inveniuntur, qui à communi regula deviant; sic ex plurimis experimentis decernitur, nivem esse candidam, corvum esse atrum, mel dulce; quamvis in quibusdam Regionibus nix rubra inveniatur, corvus candidus & mel amarum: qualis ergo scientia principiis suis firmiter innixa ex Inductione speranda est? Vid. Antonium Le Grand Part. I. Logic. Instit. Philosoph. p. m. 57.

Responsio,

§. 13. Mens & lingua est dissentientium. Sed benè res habet, si cogitemus, duplicem esse Experientiam, propriam alteram, alteram alienam. Nec ad Inductionem requiritur, ut omnia singularia propriâ explorata habeamus industriâ, sed sufficit, si propria Experientia alienæ, quæ tot, tantorumque hominum fide nititur, faventer consentiat: quinimò satis esse aliquando ad Inductionem instituendam putamus, ut, si propriâ destituamur, ad alienam, fide tamen dignam confugiamus.

ejusque extensio

§. 14. Certè enim nihil prohibet, quò minùs quis ἐπιφανῶς ostendere possit, quemcunque hominem signi genethliaci loco habentem capricornum in horoscopo ascendentem (dicitur autem hoc signum fatale admodum esse mutationibus imperiorum, Melancht. in Loc. Manlii p. m. 416.) inferre mutationem Rebus publ. etsi nunquam constellationes capricorni ipse conspexerit, modò ex Historia constet, & Augustum Imperatorem & Vespasianum & Carolum V. & Carolum Borbonium, & Cosmum Medicem (referente Cardanò) habuisse Capricornum ascendentem in horoscopo, qui omnes ad maxima Imperia non tantùm, Regna, Ducatûs & opulentas hæreditates pervenerunt, sed & insignes iisdem mutationes intulerunt, Vide Henr. Ranzovium in L. de Pred. Astrol. p. 192.

§. 15. Quod

§. 15. Qvòd verò hâc ultimâ mundi senectâ res non ali- *fundam*
 ter atqve olim multa ante secula deprehendamus, causa est stabi- *mentum.*
 lis & perpetua summi Opificis formarum & proprietatum inde
 emanantium constitutio, ut & intellectus uniformis ratiocina-
 tio. Perpetuum enim est, qvòd Omnipotens constituit; nec
 hâc annò lactucæ aut passeris species & facultas diversa est ab ea,
 quæ à multis annorum millibus fuit; hic idem est in hominibus
 intellectus specie & facultate, qvi fuit ante multa annorum mil-
 lia, ob id, quæ Euclidi visa sunt de figuris à materiis abstrahenti,
 eadem & nobis vera apparent, ob id in similibus scientia veritatis
 elucet. Bartholom. Viottus L. VIII. de Demonstr. c. 7. it: L. I. c. 11.

§. 16. Intellectu igitur ex scientiæ universalis Experien-
 tia, non unaqvâqve à qvôlibet impostore, nubem pro Janone *circumspicere*
 vendente, obtrusâ, sed eâ demum, contra cujus principia nullam *extructum.*
 humana ratio possit excogitare Instantiam, qvò minùs sit perpe-
 tuæ veritatis, confirmatò, de Definitione Inductionis meritò su-
 mus solliciti, qvam eò faciliùs licebit invenire, qvò apertius viam
 nobis calcavit Philosophus pro diversa ratione considerandi di-
 versimodè eam definiendò. Confer §. 8.

§. 17. Nos rei compendium facientes ex L. I. Top. c. 12. u-
 bi dicitur; Ἐπαγωγή (ἴστι) ἢ ἀπὸ τῶν καθέκαστα ἴστι τὰ καθόλου ἔφο- *Transitio ad*
 ἴστι, seu Inductio est à singularibus ad universalia progressio, & ex L. II. *ad*
 Prior. Anal. c. 23. Ἐπαγωγή μὲν ἐν ἴστι, καὶ ὁ ἐξ ἐπαγωγῆς Συλλογισ-
 μὸς, τὸ δὲ τῶν ἑτέρων ἴστι τὸν ἀκρον τῶν μέσων συλλογισμῶν, vel ut vir-
 solertissimi Ingenii Johannes Baptista Monlorius Ἐπαγωγὴ ἐστὶν *Ἐπαγωγὴ*
 qvòd Inductio est ex Inductione Syllogismus sit, cum alterum extremum
 per alterum de medio concluditur, quando scilicet probamus, majus extre-
 mum convenire medio per minus extremum, hanc suppeditamus, si
 non undiqvaqve accuratam, debitjs tamen definiendi Regulis
 suo modo accommodatam.

§. 18. Inductio est legitima argumen-
 tatio, quâ ex plurium singularium, sive pro- *Definitionē.*
 priè, sive comparatè sumptorum, atqve ab
 intellectu univocè perceptorum aliquid
 universale perpetuò colligitur.

B

§. 19. Qua-

ejusq; pra-
missam

adversanti-
um remotio-
nem

§. 19, Qua si non accuratâ definitione, aliquâ certè de-
scriptione, præcipuæ, quibus hoc cognoscendi Instrumentum,
infestari à roboribus solet, difficultates videntur discussæ. Neq;
enim nobis, quibus hâc quidem vice prolixis adeò esse non licet,
de novo, cùm magnam partem supra §. 13. & 14. id effectum de-
derimus, veterum & recentiorum Pyrrhonorum deliramenta,
spontè imponimus discutienda, qui sensibus omnem omninò fi-
dem derogantes, cunctam simul *Inductionem*, indeque extru-
ctam rerum cognitionem certam evertunt. Equidem indulge-
ant stolidissimæ suæ *non Philosophandi Philosophiæ*, (*stilò Lactantii*
L. III. Instit. Div. c. 4.) effodiant sibi metipsis suò damno oculos,
obstruant aures, & si quidem illis lubet, quanti quanti sunt, nil ni-
si stupor fiant; Nos sensus divinitus nobis impressos grato erga
sapientissimùm Creatorem amplectimur animo, à quibus cogni-
tionem nostram exorsi precium aliquod ejus nos fecisse putan-
tes, in eosdem, quicquid inde educitum fuerit, ultimatè imus re-
solutum.

Resolutione,

§. 20. Verùm relinquimus his *κυβείαν καὶ πανουργίαν πρὸς*
τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης; Et cùm longè majoris sit momenti *εὐ-*
ρίσκειν τὰς κλεῖς, καὶ ἐφαρμόζειν, seu *claves invenire, easdemque simul ap-*
plicare, pergimus ad ea, quæ tractanda nobis restant.

per certas ra-
tiones

§. 21. *Inductionem* veram cluere argumentationem [quæ
Consequentia est, quâ ita colligitur aliquid ex aliquo, ut semper
terminus aliquis sit in antecedente, qui non est in consequente,]
obvium cuique esse remur partim ex ipsâ argumentationis Defi-
nitione hoc ipso suppeditata, partim etiam ex ejusdem divisione.

in debitum
Genus

§. 22. Omnis enim argumentatio bona vel *formaliter* (cùm
sc. in nulla similis formæ, quæ constat æquè multis terminis eodẽ
ordine dispositis, & æquè multis propositionibus ejusdem quan-
titalis & qualitalis dari potest antecedens verum, consequente
falso) vel *materialiter* talis est, (cùm sc. in aliqua similis formæ dari
potest antecedens verum, consequente falso.) Etsi itaq; amba-
bus concedam9 manibus, *Inductionem*, sicut & cæteras argumẽ-
tationes *A syllogisticas ἀντιστροφὴν μετὰ τῶν ὁρῶν* puta, *ἰσχυρισμὸν*,
ἀπαγωγὴν, *ἐνστάσιν* & *ἐνθύμημα* (Confer Philosoph L. I. Topic. c.
12.) sub *formali* argumentatione non comprehendi, sed solum
Syllogismum in debita Figura & Modo constitutum hanc præ-
reliquis habere prærogativam, nemo tamen ibit inficias, eandem
sub

sub materiali contineri. Quod ergo continetur sub uno dividendum membro, id sub diviso etiam continetur; atque Inductio continetur sub uno dividendum membrorum, sc. argumentatione materiali, E continetur sub ipso diviso, argumentatione scilicet, & per consequens ex Argumentationum censu exterminari non potest: idque eò magis, quod cum syllogismo eodè gaudeat principio Canonico, **Dicto** nimirum **de Omni & Nullo**, quamvis inverso. Nam sicut in syllogismo, quicquid universaliter prædicatur de genere, & quòvis communiore pariter ac latiori, illud etiam de specie aut aliquò angustiori, sub communiore comprehensò prædicari necesse est; ita in Inductione, quod de omnibus singularibus seu minus communibus verum esse ostenditur, idem & de universali seu magis communi verum esse colligitur. Vide *B.D. Höpfneri Comment. in Prior. Analyt. L. II. c. 23. p. 573.*

§. 23. Perstat itaque Argumentatio ut Inductionis Genus, non quidem univocum (aliàs perfectum) quod eandem Essentiam æquè suis speciebus communicat; quando enim nomen æqualiter utriusque competit, secundum essentiam, id commodè & breviter nostri Philosophi dicunt Univocationem, inquit Scaliger Exercit. 299. sect. 2. ac si æqualiter de natura sua cum syllogismo participet; attamen Analogum (quod & imperfectum, & ex Philosopho ἀφ' ἐνὸς πρὸς ἐν appellatur,) siquidem cujus naturam perfectissimè participat primaria species, Syllogismus; Inductio verò secundariò propter cognationem, cum omnem suam concludendi vim à syllogismo mutuatur, adeò, ut nisi ad eundè possit revocari, nullius momenti, ac veræ argumentationis sit indigna: quod & Philosophi confirmat autoritas, Inductionem necessariam argumentandi speciem appellendò *L. I. Topic. c. 12. §. 1. 2.*

non quidem Univocum

analogum tamen,

§. 24. Materiam Inductionis non quidem remotam, quæ termini sunt in eadem obviæ, sed propinquam, sive ipsas hoc genus argumentandi constituentes Enunciationes statuimus singulares præmissas, cum Universali Conclusionem: δὲ ἵνα νοεῖν τὸ Γ. ἐξ ἀπάντων τῶν καθεκασθὸν συγκείμενον, ἢ γὰρ ἐπαγωγὴ ἀπὸ πάντων, h. e. Intelligendum autem est τὸ C. (per quod paulò ante singularia repræsentaverat) quasi quid ex universis singulis compositum, nam Inductio ex omnibus efficitur, verba sunt Philosophi *L. II. Prior. Anal. c. 23.*

Materiam,

latentem in

§. 25. Cave tamen hîc singulare sumas vel simpliciter & proprie tantum, pro individuo, quod de nullo alio prædicari potest,

Singularibus

collectim
sumptis

vel comparatè & analogicè tantùm, pro minùs universalì, seu quòvis inferiori in eàdem Categoriâ respectu superioris, quomodo species alicujus generis possunt dici ejus singularia, ut homo & brutum animalis; item [quamvis abusivè] pro parte quâlibet respectu sui totius, Vid. *Scheibleri Opus Metaph. L.I.c.7.n.4.p.m.100.* species enim ad Genus, & partes ad totum eòdem sese habèt modò, quò Individuum ad suam speciem: sed *utrâq;* significatione simul, cum *Inductio* non modò à verè & propriè sic dictis singularibus ad univèrsalia progrediatur, sed & à minùs universalibus, utpote à speciebus ad magis universale, Genus sc. adscendat; E. g. Gubernator sciens est optimus, auriga sciens est optimus, E. O. sciens in unaquaque re est optimus, adde, quòd ex quocunqve genere partium totum concludamus, ut: caput ægrotat, pedes & aliæ corporis partes ægrotant omnes, E. totum corpus ægrotat. Quòd adeò *Dd. Conimbricenses in summâ L.II. Pr. Anal.* Rodolphum non immeritò commendent, *Inductionem*, vel, secundùm ipsius stylum, Enumerationem per argumentationem, in *II. sue introductionis Libro c.78.* quâ ex pluribus, vel partibus vel speciebus unum vel totum vel genus colligatur, definientem; ubi specierum nomine etiam individua eum ajunt complecti.

sum addita
Discretione,

§. 26. Cæterùm, quæ à singularibus ad univèrsalia procedit, extra dubium præcipua est & accuratissima *Inductio*; modò singularium nomine non intelligas ea tantùm, quæ verè singularia sunt, sed etiam quæ minùs univèrsalia; quod benè notavit *Fonseca L. VI. Instit. Dial. c.34.* & cum eo *Marius Nizol. elegantissimò Tractatu de vera ratione Philosophandi L.I.c.7.p.m.57.* quem exscribere hîc superfedemus.

Dubio

§. 27. Utrum autem *Intellectus*, cujus quoque opus est *Inductio* tanquam species argumentationis, versetur circa singularia, quandoquidem ex singularibus propriè sic dictis eandem ut plurimùm exstrui, passim fuit traditum, haud exigui est momenti controversia? Ubi à parte negantium stantibus patrocinari videtur tritum illud *Philosophi L.I. Acroam.c.5. §.49. Universale secundùm Intellectum notius esse, singulare verò secundùm sensum.* Intellectus enim semper est univèrsalium, sensus verò singularium.

Resolutione.

§. 28. Quod quidem dubium solutu erit facillimum, si attendas; Philosophum; intellectum circa univèrsalia versari dicentem, non loqui sensu exclusivò, quasi singularia ab intellectu pla-

pla-

planè non percipiuntur [utcumque alterum illud: *sensus est singularium*, quemadmodum jacet, sit intelligendum, quoniam sentiendi actus unicè circa τὸδε π, quod est τὸ ἄνθρωπον occupatur;] sed in sensu inclusivo & κατ' ἐξοχλήν, quòd intellectus primariò sit Universalium, secundariò verò singularium, cum ab eo non percipiuntur, quatenus sensibilia, nec etià ita excellenter ut universalia; idque ob diversam *Objecti* tam *habitus vel scientia*, quam *potentia* acceptionè, ubi *alterum adæquationis Objectum* complectitur omnia, quæ potentia obijciuntur, uti tum singularia tum universalia sunt objectum intellectus; *alterum verò perfectionis* ea tantum complectitur, in quibus nobiliori modò potentia occupatur, quæ objectum sunt universalia tantum respectu intellectus. *Inductio* itaque quando à singularibus dicitur progredi, ab iis procedit, non quatenus singularia sunt, sed quatenus simul sumpta universalem quandam rationem continent, quam intellectus, beneficio abstractionis, venatur atque cernit & exinde universalem Conclusionem colligit.

§. 29. Sed properandum nobis ad *Inductionis Formam*, *Inductionis Formam*, quam in ipsa à singularibus, præmissorum locum obtinentibus, ad universale legitimâ progressionem consistere putamus: ubi non ex quovis quidvis licet colligere, nisi sufficiens singularium *Processus à singularibus ad universale.* & quidem convenientium enumeratio præcesserit, universaleq; similiter congruum subsequatur.

§. 30. Illa autem enumeratio omnium commodissime, *per Copulationem* videtur posse institui per particulam *ET* non *copulatè* quidem, seu *collectivè*, dum non totas connectit Enunciationes, sed aliquas saltim earundem partes, illegitimè enim procederes inferendo; Et ignis, & aer, & aqua, & terra sunt quatuor, E. omnia Elementa sunt quatuor, quoniam hîc universale accipitur non pro singulis seorsim sed conjunctim sumptis: sed *copulativè*, *distributivè* aliàs, seu *universaliter* sumptâ, pro singulis minus cõmunibus copulativè enumerâdis; sive illud universale distribuatur vel pro generibus singulorum, vel pro singulis generum: *si isto modo* distribuas, sufficit omnia minus communia particulariter enumerare, e.g. Q. Homo, Equus, Canis fuit in arca Noæ, E. omne animal fuit &c. *si hoc*: necesse est, universaliter minus communia induci, ut rectè colligas: O. animal crescit, O. planta crescit, E. O. vivens crescit. Modò aliqua, quod accidit Inductioni in *materia probabi-*

h, vel ad minimum unum singulare exceptioni non subiectum, quod contingit in *demonstrativa* confer. §. 35 enumeretur, firmiter inferens, quod τὸ A. habeat cum τῷ B. essentialem connexum, quo deprehenso sine hæsitatione inferim⁹ universale, rati, quod de Propositione per se ad illam de omni firma valeat consequentia: hinc ex illatione Apostoli *Rom. IV, 3.* Abrahamum fide esse justificatum, quilibet ὁ θεοφίλης suæ certus ἀμετάπτωτος καὶ ἀμετακίνητος colligit, se fide coram DEO iri justificatum.

Ἔς λογοτέρο-
π85.

§. 31. Cum verò ob infinitam Individuorum multitudinem impossibile sit, singula enumerare, atq; iis ad universale (ab omni æquivocatione, ne sc. plura eaq; diversa sub se contineat singularia, quàm adducta sunt, sed ut æque latè pateat cum omnibus singularibus simul sumptis, nec latius sit iisdem, neque angustius) procedere, vel per *rejectionem*, vel per *λογοτέροπος*, ut vocant, & commodas singularia includendi formulas, implicite negotium licet expedire; quo compendio antiquissima Philosophorum schola, in Disputationibus suis per quæstiones & Responsiones procedendo, fuit usa, ut apud *Platonem, Galenum, alios* videre est: ὅταν γὰρ δεῖ τὸ καθ' ὅλα λαβεῖν ἕτως ὅπι' πάντων τοιούτων φασί, h. e. quando genus universum concludi debet, eandem cæterorum esse rationem ajunt. *Philosoph. L. VIII. Topic. c. 2.*

Differentia à
Syllogismo

1.) quoad probandi rationem

§. 32. In medium itaq; potractâ *Inductionis materiâ atq; formâ*, differentiam hujus à syllogismo perspicere cuius obviū erit; quod non tantum sc. *quoad formam seu probandi rationem* à se invicem differant, cum Syllogismus per medium probet extremum, vel majorem terminum de tertio seu minore; Inductio autem per tertium seu minorem majus extremum de medio, (*Stengelii Jesuitæ differentia L. I. de bono & malo Syllog. §. 17.* ex indebita ad certam figuram Inductionis dispositione, producta de Inductione formaliter, ut supra §. 22. vocavimus considerata tantum valet, adeoq; peculiarem ei assignare classem operæ non fuit precium) *Non tantum, quoad usum*, siquidem Syllogismò probatur conclusio habens medium, propter quod Major terminus minori inest; Inductio verò est instrumentum πρώτης καὶ ἀμέσως προτάσεως, cujus beneficio primæ & immediatæ propositiones probantur, principia nimirum & axiomata disciplinarum ex priori aliàs non demonstrabilia; *Non tantum quoad cognitionem ad-*

2.) ἡ/μῶς

ad-

adjunctum, ubi natura prior ac notior est Syllogismus, qui fit per medium, nobis vero evidentior, qui fit per Inductionem; sed maxime etiam quoad principium effectivum, cum Syllogismus totus sit rationis opus, inductio vero partim a sensu, partim autem ab intellectu dependeat, vide supra §. 28. Si enim solius sensus esset effectus, in bruta quoque, sensu non raro homines antecellencia caderet, quod statuere ἀτοπον foret.

3.) Cognitio-
nis adjun-
ctum.

§. 33. Tandem sponte sua sese offerunt Inductinis divisiones; quarum alia est naturalis, sine cura & studio, qualis haec: omne totum est majus qualibet sua parte, alia vero artificialis, quae ex artium ac disciplinarum principiis proximis proveniens non nisi diligenti & accurata omnium singularium Inductione colligi potest.

Divisio,
in naturalem
& artificia-
lem

§. 34. Excipit hanc Divisio Inductionis in perfectam, in qua ex enumeratione omnium singularium universalis conclusio infertur, sive id fiat explicitè & per prolixam singularium enumerationem, quae vel nauseam Disputatoribus possit propinare, vel implicitè & per βεβαίωσιν τῶν λοιπῶν; repete hic, quae dicta sunt §. 31. cujusmodi λογότερον artificiosè ab Apostolo Ebr. XI. v. 32. videmus expressum, ubi convenienti Inductione probaturus, neminem unquam sanctorum sine fide DEO placuisse, adducit Abelem, Enochum, Noam, Abrahamum, Saram, Isaacum, Jacobum, reliquos; tandemque adjicit: & quid praeterea loquar? commemorantem de Gedeone, Baruch &c. (ἐν βεβαίωσιν τῶν λοιπῶν) tempus deficeret. Sed & nos, si in evolvendis exemplis luberet esse operosiores: vel Imperfectam, in qua non omnia enumerantur singularia, sed ex quibusdam tantum adductis universalis exstruitur conclusio; quales, siquidem ex materia sunt contingenti seu dialectica, nullam, propter unicam etiam adductam Instantiam, habentes vim necessariò concludendi, ad Exemplorum plaustra, meritò referuntur; quas Inductiones imperfectas in Rhetorum viridaria §. 7. ideò etiam remisimus.

perfectam &
imperfectam

§. 35. Facta modò materiae contingentis seu dialecticae mentione, incidit Divisio Inductionis ab Averroë, ut volunt, inventa in Demonstrativam [cui Didascalica in certo Disciplinarum genere etiam accensetur] quae constat ex propositionibus necessariis, quarum subjectis praedicata necessariò insunt, & Dialecticam, in cujus propositionibus praedicata subjectis tantum insunt contingenter: In hac de cetero, si certi quid velis concludere, opus est omnium singularium vel expressa vel confusa enu-

Demonstrati-
vam & Dia-
lecticam

enumeratione; cum in illa sufficiat, quod à prædicato καὶ αὐτῷ colligendo procedatur ad καὶ πάντες.

*affirmantem
& negantem.*
§. 36. Non ignobilis restat Divisio Inductionis in *affirmantem*, ex singularibus affirmativis affirmativè, & *negantem*, ex singularibus negativis negativè concludentem, siquidem non rectè tantùm concludis affirmando, Lycisca latrat, Phylax latrat, Melampus latrat &c. E. O, canis latrat, sed & optimè negando; Nec Cræso aurum, nec Vires Achilli, nec Demostheni eloquentia, nec Helenæ pulchritudo, nec Bernicæ fastus, nec Alexandro M. gloria, nec Julio Cæsari calliditas felicitatem adferre potuerunt, & sic in cæteris proceditur mundanis: Nemo igitur est, qui perpetuâ in tempore felicitate possit frui.

*Corollaria de
Ufu
&*
§. 37. Ageremus hîc ex professo *de Ufu* etiam *Inductionis*, qui sanè amplissimus est, ne in sterili materia operam perdidisse jure meritoq; possimus incusari; verùm quia id per singulos fere Disputationis §§. dederimus effectum, vela contrahentes properamus ad finem.

Reductione
§. 38. Et tribus tantùm verbis de Inductionis agimus reductione, quæ ad certam aliquam Figuram instituat necesse est, nisi ex legitimo argumentationum numero velit rejici.

Vel ad primâ.
§. 39. Ubi per *διχοτομία* tuto licet procedere, adeò, ut vel maneat eadem conclusio in Syllogismo, quæ in ipsa fuit Inductione, hic opus est, ut tota singularium congeries pro medio accipiatur, & in antecedente cum utroque extremorum jungatur: Medium enim, quo Inductio ad persuadendum utatur, aliud non habet, nisi illam partium vel integrantium vel subjectarum turbam in antecedente contentam, quæ simul etiam extorris fit ex conclusione, quod medi termini proprium est.

*Vel ad tertiâ
figuram.*
§. 40. Altera via reducendi est, ut non eadem utrobique servetur conclusio, sed immutetur, minoreq; termino vice medi substituto, & medio contra vice minoris, Syllogismus evadat perfectus in tertia Figura; id quod exemplorum futuro conflictui, siquidem requiretur, reservatorum assumptione facile patefcet. Hac vice divini Numinis gratiâ ad metam nobis præfixam feliciter perducti eidem laudes decernimus nunquam terminaturas.

Ἐπιόγματα.

Liber populus à Livio describitur L. IV. c. 15. qui inter jura Legesque est. Ex quo loco etiam libertas academica in genere definiri potest.

Regia vox, & æternitate digna, *Stephani Polonorum Regis*, ad promulgationem edicti de pace Religionis servanda addita: Tria solum Deum sibi reservasse; *creare aliquid ex nihilo, nosse futura, & dominari conscientiis*. Noverat sapientissimus Princeps, svaderi fidem, cogi non posse.

Ducis præsentia in bello & vires addit & animum militi; adeoque necessaria.

Lamix non possunt excitare tempestates.

Metamorphosis animalium, Lycanthroporum e. g. mihi non videntur verisimiles.

Uti res se habet ad esse, sic etiam ad operari.

Qualis causa, talis omninò etiam effectus.

Magis expedit Virgini viro prudenti sine dote, quam largiter dotato sine prudentia nubere.

Pessimè consulitur Reipubl. ubi officia, quæ virtute erant impetranda, largitionibus extorquentur.

F I N I S.

Coll. diss. A. 27, misc. 62